Fondazione Diabete To
Museo del diabete
Libri antichi
124

Vera

Illustrissimo Domino

C. H. Reinhard

Burgermeister.

B784

TOXICOLOGIA
ACIDI NITRICI.

DISSERTATIONIS MEDICÆ
PARTICULA PRIOR,
QVAM
PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES RITE OBTINENDI
INTER PUBLICA GAUDIA
DE
FELICISSIMIS NUPTIIS
AUGUSTÆ REGIS FILIÆ
GUILIELMÆ MARIÆ
ET
CELSISSIMI PRINCIPIS
FREDERICI CAROLI CHRISTIANI
PUBLICE DEFENDERE CONABITUR
CAROLUS LUDOVICUS SPEYER
MEDICINAE CANDIDATUS
RESPONDENTE
ORNATISSIMO *WULFF SIESBYE*
MEDICINAE CANDIDATO
IN AUDITORIO COLLEGII ELERSIANI
DIE NOV. 6TO H. S.

HAFNIÆ 1828.
TYPIS EXCUDEBAT HARTV. FRED. TOPP.

Facultas medica hafniensis commentationem hanc dignam censet, quæ pro *Licentia* summos in arte medica honores rite capessendi publico eruditorum examini subjiciatur.

O. L. Bang,
p. t. Dec. Fac. Med.

Toxicologia acidi nitrici.

Particula prior.

Eine jede Bemerkung — über Vergiftung — sie enthalte nun wirklich etwas Neues, oder bestätige und ordne nur das schon Vorhandene und Bekannte, muss willkommen seyn.

Wolfart *apud Kopp.; Jahrbuch der Staatsarzneikunde 1ster B. p. 3.*

Introductio.

Inter tot vias, quibus humanum genus ad vitæ exitum ducitur, haud raro etiam illa teritur, quæ florentissimam sanitatem per venena, aut incaute sumta, aut malitiose propinata, aut denique ab hominibus, de salute sua desperantibus, inconsulta moriendi voluntate, sponte hausta, in perniciem præcipitat. Quo magis vero politia medica, cui in veneficiis prohibendis haud minimum positum est officium, excoleretur, quo arctius restringerentur de venenis emendis vendendisve leges, eo rariora fierent veneficia necesse esse, facile intelligitur. Quanquam autem nostris temporibus et in patria et apud exteros divenditio venenorum restrictissimis tenetur legibus, veneficia tamen sæpius, quam quis credat, obvia sunt. Sed longe plurima, quæ ultimis annis apud nos observandi fuit occasio, uno eodemque veneno scil. acido nitrico diluto, sub nomine aquæ fortis a plebe cognito perpetrantur, idque mirum. Veneficia acidis mineralibus commissa, ob vim eorum causticam, qua gutta guttam, gustus sen-

su judicatam, haud secutura videatur, a rerum natura longe abesse, quis est, qui non credat, nisi experientia contrarium docuerit. Munere candidati nosocomii Regii Fredericiani, quod floret Hafniæ, fungentem effugere non potuit, quam vulgares essent tales casus, quantum cresceret quotannis numerus hoc malo afflictorum. Causa hujus phænomeni facile patebit: maximus in oeconomia aquæ fortis est usus. Adhibetur in laboratoriis chemicis, in officinis fusoriis et infectoriis, ad manus est aurifici, pileario, bibliopego, pictori, utuntur ea fabri ærarii, quique æneos tabulos sculpunt et scalptores sigillorum, maximi momenti est monetariis, nec deesse potest in fabrica vasorum porcellanicorum; huc accedit usus ejus domesticus, quo ab ancillis ad vasa varii generis metallica purganda expoliendaque adhibetur. Quo fit, ut non modo prostet in officinis pharmacopolarum, sed etiam proh dolor! sine ullo negotio e tabernis aromaticis acquiri possit.

Res sese non semper ita habuisse, ex eo inprimis prodit, quod paucissimi patriæ autores, quorum diligentia et eruditio literis medicis summam utilitatem attulerunt, hoc veneficii genus tetigerunt. Etenim si Mathiam Jacobæum excipio [1]), qui talis apud exteros tamen observati casus mentionem fecit, nemo, quantum scio, ante primos seculi currentis annos hujusmodi ob-

---

[1]) Thomæ Bartholini: Acta medica et philosophica Hafniensia, Anno 1671 & 1672 Pag. 210.

servationes publici juris fecit. Tunc temporis cl. Scheel [2]) relationem talis casus literis tradidit. Qvem secutus cl. noster Lunding [3]), plures, quas observare illi fuit occasio, morbi historias, hoc veneno vitam infestantium, descripsit. Ingeniosissimus Herholdt [4]) mentionem facit puellæ, 19 annorum, summe hystericæ, quæ hoc remedio, addito acido sulphurico, vita se privavit. Celbr. Bang, nunc protomedicus N. R. F., affert historiam obductionis puellæ, 24 annos natæ, effectu acidi nitrici, largiter ingesti, in nosocomio demortuæ [5]).

Perlustratis, data superiorum venia, scriniis N. R. F., quinquennio — ab 1816 ad 1820 incl. — tres solum ob seqvelas acidi nitrici infelices receptos invenimus. Inde vero ad exitum mensis Junii 1825 observare mihi contigit 18 ægrotos, qui ob hanc cansam ad auxilium et solatium nosocomii confugere; scil.

1821	6
1822	2
1823	5

---

[2]) Neues nordisches Archiv von Pfaff, Scheel und Rudolphi; fasc. 1.

[3]) De olei vitrioli et aquæ fortis largiter ingestorum sequelis earumque cura, in Actis R. S. M. H. Vol. 6 Pag. 13.

[4]) Udtog af sine Dagböger over R. Hertzs Sygdom. Kjöbenhavn 1826 Pag. 102.

[5]) Bibliothek for Læger. 1826, Pag. 32.

1824 3
1825 . . . . . 2.

Ex illis 2 erant viri, 16 foeminæ, quæ omnes suicidii causa venenum assumserant. Rarius — saltem apud nos — errore deglutitur acidum nitricum, quod tamen fieri ipsi observavimus [6]). Rarissime — cum gustus sensu facillime detegatur adulteratio, homicidii perpetrandi causa adhibetur [7]).

Hoc loco a re haud abesse mihi videtur disqvirere, qualis hujus labis sit apud exteros facies hodierna, relictis a nostro ævo longius remotis, qui occurrunt, casibus. Quæ enim observationes apud autores olim celeberrimos: Forestum [8]), Schenkinm [9]), Sennert [10]), Poterium [1]), Ettmüller [2]), Borellium [3]), Manget [4]), multos-

---

6) Ephemerides Aarhuus Stiftstidende 1828 No. 29 relationem talis casus infortunati, morte finiti, continent.

7) In Archiv for Retsvidenskaben og dens Anvendelse af Örsted, 2den Deel, Kjöbenhavn 1825, Pag. 39 talis casus legitur.

8) Observationes et curationes medicæ, libr. 15, observ. 20.

9) Observationum medicarum rariorum libri 7, Lugd. 1643 Pag. 871.

10) Practica medicina. 1654 Pag. 264.

1) Opera medica et chemica. 1645 Pag. 165.

2) Opera physico - medica. Lugd. 1690 Pag. 53.

3) Observationes medico - physicæ. 1670 Pag. 298.

4) Bibliotheca medicopractica, Genev. 1698. Tom. 4 Pag 776 e. a. l., observationes, usque ad hoc tempus, factas, collegit.

que alios leguntur, ob defectum adnotatæ quantitatis et qualitatis veneni deglutiti, ob symptomata festinanter recensita, uti quoque ob scientiam chemicam, horum temporum minus exculcam, quo fit, ut, acidumne nitricum, an aliud acidum corrosivum deglutitum sit, non semper certo sciamus, minoris sunt momenti.

Exordium petamus a Gallia, cui si non majori tamen patriæ æquali gradu acidum nitricum ad veneficium perpetrandum inservit. Cum jam anno 1778 in diariis Parisiensibus [5]) remedia contra aquam fortem assumtam afferantur, jam tum frequenter a vulgo adhiberi hanc vitæ deletricem, liceat concludere. Desbois de Rochefort [6]) quendam a se anno 1780 observatum casum literis tradidit. Celebr. Portal [7]) unici talis casus mentionem faciens, veneficia ex aqua forti perrara esse contendit. Desgranges duos hujusmodi casus describit, licet plures sine dubio observandi occasionem habuerit [8]). Palmam vero cæteris observatoribus prærripuit cl. Tartra, cui magnam tali modo afflictorum seriem conspicere

---

5) Journal de Paris. Mai 29.

6) Traité de matière medicale; articl. acide nitreux.

7) Sur les effets des vapeurs mephetiques etc. Paris 1787.

8) Observations sur l'empoisonnement par les acides mineranx etc. in Recueil periodique de la societé de med: de Paris par Sedillot Tome 6, 1799, Pag. 1 seqv.: "Les empoisonnemens causés par les acides minéraux ne sont malheureusement que trop frequens.

contigit, e quorum historiis, morbi viginti novem publici juris fecit in dissertatione, quæ in fronte habet: Traité de l'empoisonnement par l'acide nitrique à Paris 1802, cujus laudibus abundant ephemerides, abundant majoris ambitus opera, cujusque in sequentibus sæpius fiet mentio. Oculis perlustranti, ut verba experientissimi Orfilæ [9]) mea faciam, multifarias veneficiorum observationes, facile patebit, inter venena mineralia acidum nitricum ad vitam exstingvendam longe sæpissime adhiberi, ejusque effectus sæpe esse vitæ ruinam. Quibus celeberrimi viri observationibus optime congruunt, quæ de hacce materia affert cl. Foderé[10]). Nescio itaque, quo jure, quave observatione fretus, contraria contendere ausus sit doct. Mahon [11]) eodem fere tempore, quo opus Tartræ, nuper citatum, in lucem prodiit.

Ut in aliis, sic etiam hoc respectu a Francogallo differt Anglus, apud quem, nescio an corvo albo rarius sit, acidi nitrici veneficium. Qvæ non ita intellecta velim, quasi nullum omnino locum ibi habere hujus generis veneficia dicam; sed ob incommoda multifaria, præsertim ob fortunarum periculum, quod e legibus

---

9) Traité des poisons, Tome 2 Pag. 98, § 536.

10) Traité de medicine legale Paris 1813; Tome 4 § 885 Pag. 95.

11) Medicine legale et police medicale. Paris. 1801 Vol. 2, Pag. 349.

anglicis suicidæ familiæ imminet, veneficia, quantum fieri potest, celantur occultanturque. In ephemeridibus: the Morning - Chronicle 1801 Octobr. 20 unica, quam invenire mihi contigit, talis casus adnotatio, in vulgus edita, legitur. Alexander Monro [2]) effectus acidorum mineralium in canalem alimentalem universe affert; sed ex iis, quæ dicit, dubitare licet, num unquam cadaver aqua forti interfecti conspexerit. Opus medico-forense, non multis abhinc annis in Anglia a Paris et Torblanque editum, quod inscribitur: Medical jurisprudence, in parte toxicologica continet quidem sectionem specialem de acido nitrico; num vero ex autorum vel aliorum experientia collectum sit hocce caput, cum librum haud obtinere potuerim, dicere non possum.

Ad Germaniam oculos convertentes, in collectionibus medici argumenti, et in operibus medico-forensibus, quibus abundat hujus populi literatnra, multa de venenis et veneficiis in universum, perpauca vero facta, abusum aquæ fortis illustrantia, invenient. Ne de antiquioribus dicam observationibus, illustrissimus Haller [3]) avum suum hocce veneno errore pharmacopolæ, qui

---

2) The morbid anatomy of the human gultet, stomach and intestins. Edingb. 1813. conf: Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche practischer Aerzte, Vol. 25, fasc. 2.

3) Vorlesungen über die gerichtliche Arzneiwissenschaft v. Weber. Bern. 1782. Vol. 2. P. 179.

in formula medica aqv. fort. pro aqv. font. legit, misere esse necatum, prodit. Cl. Pyl [4]) mentionem facit foeminæ, quæ, vulnere pectori inflicto, et deinde aqua forti hausta, mortem sibi contraxit. Alia hujus veneficii exempla præbent Auserlesene Abhandlungen &c., cujus collectionis volumen 25tum Pag. 214 continet relationem de mercatore, qui hausta aqua forti transscissa dein altera carotide, e vita exiit. Ejusdem indolis veneficium continetur voluminis 15ti fasciculo 1mo Pag. 28. E prægressis forsan eruere liceat, quam rarum sit in Germania hujus generis veneficium, quod inter alios testari videtur cl. Bernt [5]); bene dein cognitum intellectumque habere Germanos, quam anceps via ad autochiriam sit usus aquæ fortis.

Ad alias gentes quod attinet, observationibus orbatus, nil habeo, quod dicam. Hoc solum adnotatum velim, tam absconditas esse hujusmodi observationes in collectionibus omnis generis medicis, in maximi voluminis scriptis, ut melius consultum duxerim, omnem, quam potuerim, attentionem adhibere in perlegendis perscrutandis ponderandisque observationibus, quas suppeditant scrinia N. R. F. et propria, scriptaque autorum supra allatorum, quam per-

---

4) Aufsätze und Beobachtungen aus der gerichtlichen Arzneiwiss. 2te Samml. Pag. 126.

5) Systematisches Handbuch der gerichtlichen Arzneykunde Wien 1818 §. 897 P. 327.

volvendo omnia, quæ tales observationes forsitan contineant, tempus sine fructu consumere.

Hæc hactenus. In sequentibus vero sic versari in animo est, ut, præmissa chemica acidi nitrici expositione, afferantur symptomata abusus hujus veneni; particulæ autem priori finem imponant observationes a me ipso collectæ. Exordium posterioris particulæ petendum erit a critica notionis veneni expositione, hucusque, quanquam maximi momenti, haud satis excultæ; insequetur sectio de ratione, qua in corpus animale agat, ex symptomatologia et anatomia pathologica petita experimentisque aliorum et propriis illustrata; afferetur præterea sectio prognostica et therapeutica; nec, quæ respectum habeant ad medicinam forensem, deerunt; finem denique dissertationi commentarius in casus, ab aliis observatoribus allatos, imponet. Si quis vero objecerit, unam alteramve partem vel plane omitti, vel breviter modo tangi debere, illi respondebunt verba patris toxicologiæ, Orfilam dico [6]): "Il est impossible d'étudier d'une manière complète une substance vénéneuse, sans considérer ses rapports avec la chimie, l'histoire naturelle, la physiologie, la pathologie et l'anatomie pathologique. En effet, comment pourroit-on se flatter de distinguer les divers poisons, tirés du règne minéral, sans être instruit des proprietés chimiques, qui les caractérisent lorsque ils sont dans leur état

---

6) l. c. T. 1, Pag. 1.

naturel, ou lorsqu' ils sont denaturés par leurs melanges avec les alimens vegetaux ou animaux? L'action corrosive ou stupefiante de ces êtres malfaisans, en dérangeant les diverses fonctions de l'économie animale, apres avoir changé le rhytme des propriétés vitales, peut-elle s'expliquer sans les lumières de la plus saine physiologie de s' occuper soigneusement du traitement des maladies, aux quelles les poisons donnent lieu? Enfin l'anatomie pathologique ne perfectionne-t-elle pas l'étude de ces substances, lorsqu'elle nous apprend á connoître, par l'examen des divers organes les lésions multipliées, qui peuvent être le résultat de leur action?"

Sectio chemica.

"Unicum signum certum dati veneni est notitio botanica inventi veneni vegetabilis et criterium chemicum dati veneni mineralis."

PLENK: *toxicologia*, *Pag.* 9.

Acidum nitricum jam seculo 13tio a Raimundo Lullio cognitum esse, consentiunt autores, cujus præparandi methodus a Basilio Valentino, seculo 15to florente, uberius describitur. De compositione vero hujus substantiæ nil intellectum fuit ante tempora Mayowii [7]), qui vir ingeniosissimus ostendit, spiritum nitri compositum esse, eamque aëris athmosphærici partem, quæ ad flammam alendam et vitam animalem sustinendam omnino necessaria sit, continere. Post seculum fere aërum nitrosum, jam a Hales [8]) cognitum, accuratius

7) Tractatus quinque medico-physici, studio Mayow. Oxonii 1674. Tractatus 1mi (de sal-nitro) caput 2dum (de parte aërea igneaque spiritus nitri) Pag. 9 seqv. et 8vum (de spiritu nitri aëreo, quatenus ab animalibus hauritur) Pag. 135.

8) Statical essays, containing vegetable Statics, London 1769. Vol. 1 Pag. 224, Vol. 2, Pag. 283.

describens cl. Priestley [9]), eam proposuit sententiam, acidum nitricum esse aërem nitrosum dephlogisticatum, quam sententiam, inter alios a Fontana [10]) receptam, refellere contigit ill. Lavoisier [11]), exactissimis comprobanti experimentis, compositum esse ex aëre nitroso et oxygenio. Jam vero, compositione aëris nitrosi ab eodem, cujus ultima facta est mentio, celeberrimo viro detecta, experientissimus Cavendish [12]) veram acidi nitrici ex oxygenio et azoto indolem exposuit. Nostris denique temporibus, cum sit acidum nitricum substantia, cura atque studio chemici æque ac medici et philosophi dignissima [13]); in hac doctrina illustranda exsudavere celeb. Dalton, Davy [14]), Gay-Lussac [15]), Berzelius [16]), quorum vi-

---

9) Versuche und Beobachtungen über verschiedene Gattungen der Luft. Wien 1778. Vol. 1, 105 sequ. et 197 seqv.

10) Physische Untersuchungen über die Natur der Salpeterluft von Wartenberg. Wien 1777.

11) Memoires de l'academie royale des sciences 1776 Pag. 673; ejusdem: Traité élementaire de chimie. Tom. 1 Pag. 78.

12) Philosophical Transactions, 78 Pag. 26, 79 Pag. 300.

13) Fourcroy : systême des connaissances chimiques Tome 2 Pag. 93.

14) Élemens de philosophie chimique, traduit par van Mons, Paris 1813. Annales de chimie T. 42.

15) Recueil de la société d'Arcueil Vol. 2, Pag 215 sequ. Annales de chimie et de physiologie, T. 1, Pag. 394.

16) Lärbok i Kemien. Stockholm 1817 T. 1.

rorum conaminibus factum est, ut acidum nitricum nunc inter eas substantias, quarum qualitates optime cognitas habeamus, jure referendum sit [7]).

Synonyma: aqua chrysulca, fortis, stygia; stygeosa, exitiosa, caustica, separationis (quibus alchymistarum denominationibus non solum acidum nitricum in specie, verum etiam acida mineralia in genere, et fortasse liquores spirituosi plures intelliguntur) acidum nitri fumans, flammans, flammificum, acidum nitri dephlogisticatum, acidum nitricum, acidum nitroso-nitricum, spiritus nitri acidus, spiritus nitri vulgaris.

Danice: Salpetersyre, Skedevand, salpetersyret Vand.

Germanice: Scheidewasser, Salpetersaüre, Salpetergeist.

Belgice: Zalpeterzuur, Sterkwater.

Gallice: Eau forte, mortelle, eau de nitre, esprit de nitre, acide azotique, hydro-nitrique, oxyseptonique.

Anglice: Spirit of nitre, acide of nitre, Septon acid, septous acid, septique acid.

Quibus absolutis, jam fert rerum ordo, ut qualitates acidi nitrici physicæ exponantur, scil. ejus consistentia, color, pondus specificum, sapor et odor, quæ tamen in infinitas abeunt varietates, prout mixtum obtinetur corporibus hete-

---

[7]) Thenard. traité de chimie élementaire theorique et pratique. Paris 1821 Tome 1 § 362 Pag. 661.

rogeneis, vel purum sensibus subjicitur. Quæ omnia jam sigillatim veniunt pertractanda.

Longe sæpissime obvium est sub forma fluidi, minime tamen abhorret a statu vaporoso, v. c. quum præparatur, qui vapores saporis acris, austeri, ingrati et nauseosi veneni instar agunt. Refert Halles [8]), eos, qui aquæ forti præparandæ operam navant, symptomatibus veneficii ex acido nitrico facti, sæpe corripi. Ex pluribus institutis experimentis prodire videtur ejus sub certis conditionibus crystallisandi facultas. Inter alios talia instituere viri exp. John M'Nab et Cavendish [9]); quorum virornm vestigia cecuti sunt Fourcroy et Vauquelin [10]), ex quorum experimentis liquet, acidum nitricum coloris lutei ad temperaturam ÷ 39° R. in crystallos purpureos et dein, vase, acidum continente quassato, in snbstantiam butyraceam abire. Chemice purum albi coloris est, pellucidum; venale vero rubrum, flavum, luteum, saphirinum, viride.

Pondus specificum a variis autoribus varie consignatur. Pondere aquæ destillatæ = 1,000

---

[8]) Gifthistorie 1787. Vol. 1 Pag. 24.

[9]) Philosophical Transactions T. 78 P. 166 seqv. Conf. Georg Adams Vorlesung über die Experimental Physik Vol. 2 P. 72.

[10]) Annales de chimie Vol. 29 Pag. 282; confer. Thomsen: Systême de chimie Vol. 2 Pag. 84; Lampadius: Grundriss des Systems der Chemie, Freiberg 1822 Pag. 89.

posito, est pondus acidi nitrici Lampadii = 1,500 Thenardii = 1,513, Kirwanii [1]) = 1,554; Prout [2]) denique pondus perduxit ad 1, 62; ad normam Pharmacopöæ danicæ parati acidi est pondus spefic: = 1,450-1,500 [3]).

Saporis est acidi, malorum gallicorum, quæ Rainettes [4]) dicuntur, haud absimilis, acris, valde caustici; odoris ingrati, pungentis.

In proponendis vero qualitatibus acidi nitrici chemicis sic versari liceat, ut a corporibus imponderabilibus ad ponderabilia, a simplicibus ad composita transeamus. Acidum nitricum, solis radiis expositum, pro parte decomponitur: evolvitur oxygenium et deutoxydum azoti, quod, ab acido relicto non decomposito absorptum, varios fluidi producit colores; sed certus acidi concentrationis gradus requiritur, nec lagena adeo impleta esse debet; alias hocce phænomenon non procedit [5]). De efficacia caloris in acidum ni-

---

1) Transactions of the Royal Irisch Academie, Dublin Vol. 4tum, Pag. 13.

2) Journal de physique, 1799 Tome 49.

3) Müller: Forsög til en pharmaceutisk Haandbog. Kjöbenhavn 1823, Pag. 26.

4) Dictionaire des sciences medicales T. 1 Pag. 134.

5) Thenard l. c. T. 1 § 364 P. 663, Thomson l. c. T. 2 Pag. 84, Fourcroy: Systême &c. T. 2 Pag. 81, Davy: Élemens &c. T. 1 Pag. 476 Gay-Lussac: Annales de chimie et physique T. 1 Pag. 397, Berthollet; Journal de physique. T. 29 Pag. 81.

tricum illustranda bene imprimis meruit Dalton, qui ostendit: acidum nitricum ponderis specifici = 1, 42 ad + 120° C. ebullire, quo aucto vel diminuto, minorem caloris gradum requiri [6]); acidum vero sub hac operatione primo dilatatum, condensari et colore flavo indui, aucto vero ad rubrum calore, subito omnino decomponi, docet cl. Thenard [7]).

De relatione acidi nitrici ad vires electricas nil habeo, quod dicam; autores, quos consului, de illa tacent, nec mihi licuit, experimenta, hanc doctrinam illustrantia, instituere. In genere autem acida, ex oxygenio et basi simplici composita, fluida, concentrata, viribus electricis exposita, decomponuntur, ita ut oxygenium polum petat positivum, basis vero negativum; eodem modo sese habet aqua contenta; acidis vero multum dilutis, aqua sola decomponitur [8]).

Jam ad ponderabilia, quorum primum oxygenium occupat locum. Quod acidum nitricum chemice purum minime aggreditur; ducto vero per acidum rubrum oxygenio, mutatur color fluidi, albescitque [9]).

---

6) vid Ure. Handwörterbuch der practischen Chemie. Weimar 1825 Pag. 111.

7) l. c.

8) Orfila Handbuch der medizinischen Chemie, übersetzt von Dr. Tromsdorff, 1819, T. 2 P. 538.

9) Berzelius: l. c.

Magna inter acidum nitricum et corpora, igni concipiendo apta, est actio, quorum plurima acidum sub phænomenis caloris liberi absque luce decomponunt; evolvuntur vero oxygenium et protoxydum vel deutoxydum azoti. Gradus vero decompositionis a statu acidi concentrationis, ab indole corporis combustibilis et temperatura supra solitam vel aucta vel diminuta pendet [10]). Inter substantias hujus classis simplices, non metallicas, azotum, chlorine et jodine solæ excipiuntur [1]).

Ab hydrogenio modo sub temperatura aucta decomponitur acidum, formatur aqua, nec deest solita vaporum evolutio.

Principium carbonicum vehementer aggreditur acidum nitricum; temperatura solita evolvitur gas acidi carbonici, azotum prot-vel deut-oxydatum; aucto calore procedunt vapores rutilantes et subito flammam concipit massa. Adamas vero, ne aucto quidem calore, afficitur [2]). Etiam major est vis acidi in phosphorum, facilius deliquescentem; aucta temperatura inflammatur. Procedunt inde acidum phosphoricum, azotum vel gas oxydi azoti, nec parum caloris producitur [3]).

---

10) Orfila: Handbuch &c. V. 1, P. 1 Pag. 176. Thenard l. c. Tom. 1 § 366 P. 661.

1) Thenard l. c. § 367 P. 664.

2) Berzelius T. 1 P. 427, Thomson l. c. T. 2 Pag. 86. Fourcroy l. c. 2. 83.

3) Vide autores nuper citatos nec non Brugnatelli in Journal de chimie T. 4 Pag. 113.

Sulphur minore gradu decompositioni acidi nitrici favet; temperatura augeatur necesse est; constanter vero producuntur acidum sulphuricum et deutoxydum azoti.

Jodine sub frigore nullam in acidum nitricum vim exserit; aucto caloris gradu, sub forma vaporis violacei, relicto acido haud decomposito, avolat [4]). Borum acido nitrico jam sub solita temperatura in acidum boracicum sub evolutione azoti simplicis vel protoxydati transponitur.

Omnia metalla, paucis — auro v. c. et fortasse platina — exceptis, acidum decomponere sat cognitum est; sub quibusnam vero conditionibus hæc fiant, quænam hac actione producantur, paucis inquiremus. Plura hanc decompositionem solita temperatura producunt, quod ubi fit, vel in ipso conjunctionis momento, vel aliquo interjecto tempore, sed tum subito vehementerque, id quod in ferro observare licet, effectum edunt. Alia, v. c. plumbum, auctum caloris gradum requirunt. Notandum denique est, sub hisce conditionibus paulatim usque ad certum gradum augeri temperaturam, per aliquod temporis spatium perdurantem, iterumque decrescentem.

Conversio metalli, in contactu cum acido nitrico positi, duplex observatur: abit scil. vel in oxydum vel in acidum. Si illud accidit, oxydum formatum sæpissime cum parte acidi haud decompositi sal neutrale, in fluido relicto solu-

---

[4]) Orfila: Handbuch 1, 1, 117.

bile, format; alias vero oxydum, majori gaudens cohæsione, vario colore præcipitat, liberumque, etsi præsente magna acidi quantitate, remanet, cujus exempla præbent stannum, antimonium et ex parte ferrum. Metallum vero in acidum formatum, idquod cognitum est de arsenico, molybdænio &c. nunquam connubium init chemicum cum acido relicto, sed modo compositionem mechanicam. Jam quod ad ipsum acidum attinet, sunt metalla, quæ decompositionem acidi plenam sub azoti evolutione producunt; alia vero acidum in statum azoti prot-vel deutoxydati transmittunt. Quam decompositionem aucto calore augeri supra monuimus; vario operationis tempore sub vario caloris gradu accidit, ut e decompositione inæqualiter procedente varii azoti evoluti oxydationis status proveniant; constantem vero esse indolem vaporum obtentorum, si metallum sub solita jam temperatura absque caloris augmento acidum omnino decomponere valeat, facile apparet. Præter hæc, quæ attulimus, producta, interdum obtinetur nitras ammoniæ, quod hydrogenio aquæ et azoto acidi debetur. Quod præsertim observatur, si metalli, magna oxygenii affinitate gaudentis excedens copia in contactum cum acido nitrico venit. Exemplum hujus assertionis sit pulvis stanni in acidum nitricum reagentis: observatur actio subitaria, tamque fortis jam in temperatura solita, ut veteres chemici acidum nitricum devorare stannum dixerint; effervescentia magna, notabilis caloris evolutio, formatio deutoxydi stanni, fundum pe-

tentis, et parvæ quantitatis nitratis ammoniæ, quod in liquore restans, percolatione et evaporatione obtinetur [5]).

E serie corporum, ex binis elementis compositorum, primum in censum veniat aqua, quæ cum acido nitrico in omni proportione sub magna caloris evolutione init connubium; tantus verò hujus affinitatis est ardor, ut sine aqua exsistere nequeat acidum nitricum liberum. Acidi concentrati fumantis partes 100 cum aquæ partibus 20 commixtæ, coloris sunt nucleorum pistacei (pistaciegrøn) eidem acidi quantitati aquæ 55 partibus additis, mistura colorem sapphirinum accipit, qui, aquæ quantitate ad 65 partes aucta, in coeruleum mutatur [6]). Quantum aquæ certa acidi quantitas contineat, eruere, magnis premitur difficultatibus. Ad calculum exp. Berthollet acidi ponderis specifici = 1,2978 partes 100 continent partes 32,41 acidi puri [7]). Acidi maxime concentrati partibus 100 inesse partes aquæ 20-30, nos docet Lampadius [8]); exp. Möller denique, nisi fallor, ad calculum Davyanum acidi concentrati partibus 100 aquæ partes 14-15 inesse contendit [9]). Acidum concentratum coloratum humidi-

---

5) Thenard l. c. T. 1 § 368 Pag. 666 et seqv.

6) Möller l. c. Pag. 26.

7) Journal de physique T. 74 Pag. 208 seqv.

8) l. c.

9) l. c. Pag. 24.

tates aëris arripit, albescitque; dilutum vero, albi coloris — aqua fortis vulgaris, — aëre humido non afficitur; non itaque aquæ fortis, aëri expositæ, vires deletrices minuuntur [10]).

Ex acidis mineralibus sequentia observemus. Phænomena ex acido sulphurico cum acido nitrico commixto orta, dignissima sunt, quæ notentur. Cl. Thenard modico calori exposuit partem acidi nitrici unam et partes acidi sulphurici quatuor; prodiit oxygenium, evoluti sunt vapores rutilantes, finita vero operatione, dilutum observabatur acidum sulphuricum, cujus processus explicatio ex iis, quæ supra diximus, liquet [1]). Cum acido hydrochlorico formatur aqua Regia, ex aqua, chlorine et acido nitroso composita.

Oxyda metallica ab acido nitrico solvuntur, quo fit, ut salia varii saturationis gradus producantur. Superoxyda vero in genere non afficiuntur, nec raro suboxyda, si major cum oxygenio illis est affinitas, si dein a puncto oxydationis perfectæ longe absunt, acidum, de quo agitur, decomponunt. Salia formata, quæ nitratia dicuntur, sequentibus gaudent characteribus, a medico foreno scitu pernecessariis: a) plurima neutra sunt, sunt tamen alia excedente acido, alia basi prævalente: exempla præbent supernitras argillæ, subnitras uranii, cupri [2]). b) Quoad colorem alba

---

10) Desgranges l. c. Pag. 17.

1) l. c. § 379 bis Pag. 675.

2) Thomson l. c. 2, Pag. 577, 636, 680 et pl. in locis.

plurima observantur; rubet vero nitras cobalti, viridi colore gaudet nitras nickelii, nitras uranii subflavum, cupri e contrario cæruleum deprehenditur [3]). c) Omnia in aqua solvuntur, nonnulla quoque in alcohole v. c. nitras cupri et calcis; nitras potassæ pro parte, sed mercurii omnino non solvitur. d) Sub temperatura aucta cum corporibus simplicibus, oxygenii avidis, æque ac compositis in contactu posita, sub detonatione et evolutione caloris et luminis decomponuntur, quæ phænomena connubio oxygenii acidi cum combustibilibus inito, debentur. Observantur hæc nitrum carboni ardenti imponendo, vel misturam e nitro et sulphure factam crucibulo terreo, antea ad rubrum ignito, injiciendo. e) Acidum sulphuricum concentratum nitrati solido superinfusum sal subito decomponit, evolviturque acidum nitricum sub forma vaporum albidorum; quod tamen modo fit operatione sine calore instituta; sale vero bene siccato, acido sulphurico valde concentrato, accedente calore, prodeunt vapores rutilantes.

Quænam inter corpora, tribus elementis composita, et acidum nitricum intercedat ratio, disserere ingressurus, non possum non observare, quam longe a proposito remotum sit, omnes hujus conditionis substantias afferre; plurimis itaque relictis, corpora vegetabilis originis nonnulla tantum

---

3) Vide autores jam citatos. nec non Buchholz in Gehlens Journal V. 4 Pag. 36.

commemorabuntur. E principiis vero proximis plantarum nonnulla oxygenium et hydrogenium quasi neutralisata eadem proportione atque in aqua continent. Quæ fere omnia si cum acido nitrico modice diluto, accedente præsertim calore, digeruntur, eandem subeunt decompositionem: formantur acidum oxalicum et malicum, interdum saccharolacticum, prout variant mixtionis conditiones. Huc referenda sunt gummosa et saccharina, nec non amylacea. Aquosa sacchari solutio saturata ab acido nitrico instillato turbida non redditur [4]).

In aliis vero prævalet hydrogenium; huc jure referuntur sequentia, sigillatim pertractanda. Olea fixa et acidum sese invicem decomponunt idque solita temperatura; volatilium vero alia mox, alia paucis acidi sulphurici guttis appositis, flammam concipiunt. Camphora solvitur ab acido nitrico; resinæ, diutius cum eo digestæ, decomponuntur, et prodit principium tannicum artificiale [5]).

---

4) Cruikshank: Allgemeines Journal der Chemie von Scherer, Leipzig 1799 Vol. 3 Pag. 294. Scheeles physische chemische Schriften; Pfaff. materia medica, in pluribus locis. Orfila: traité &c. Tom. 2 § 541 Pag. 99.

5) Olaus Borrichius: Acta medica Hafniensia 1671–72 Pag. 133. Rouelle: memoires de l'acad. royale des sc. 1747 Pag. 34. Tychsen: Theoretis og praktisk Anviisning til Apothekerkunsten Kjöb. 1804 T. 2 § 671 Pag. 182. Pfaff l. c. 1, 1, Pag. 208. Thomson

Acida denique vegetabilia oxygenio prævalent, e quorum numero fiat mentio acidi acetici venalis. Acetum vini, acido nitrico inquinatum, turbidum non fit, suisque omnino non depravatur qualitatibus acidum nitricum. Itaque si in mistura hujusmodi aquam fortem adesse suspicamur, addamus ad saturationem potassam puram necesse est; evaporatione ad siccitatem peracta, solvatur massa obtenta in spiritu vini rectificatissimo, in quo acetas potassæ et reliquæ aceti partes solvuntur, in filtro autem remanet nitras potassæ, suis signis cognoscendum [6]).

Concentrato theæ potui quo major acidi nitrici quantitas additur, eo magis fuscum evadit fluidum.

Vinum gallicum rubrum ab acido nitrico apposito nullam aliam mutationem visibilem quam augmentum ruboris accipit; a mistura, quæ vini quatuor partes, acidi nitrici venalis partem unam continet, lamina cuprea sub solita temperatura non afficitur, nec observatur vaporum evolutio; accedente vero calore, vinum, colore rubro privatum, ex albo flavescit, accedit effervescentia, solvitur cuprum, mistura pulhre virescit et sub finem operationis prodeunt vapores rutilantes.

. l. c. T. 2 Pag. 287. Dawy. Elemens &c. Tom. 1 Pag 453.

6) Orfila; traitè &c. T. 2 § 544 P. 100. Conf. ejusd. Vorlesungen über die gerichliche Arzneikunde. 1822 Pag. 389.

Etiam majore elementorum numero composita sunt corpora, quæ e regno animali depromuntur. Antiquiores autem scientiæ chemicæ cultores, attentionem regno anorganico summam tribuentes, minorem ad vegetabilium et animalium chemiam illustrandam adhibuere diligentiam. Qua in re nostris temporibus inter alios optime meriti sunt cl. Fourcroy, Berthollet [7]) et Berzelius [8]). Hoc loco de actione acidi nitrici in corpora regni animalis, vita carentia, pauca afferam; uberior hujus rei expositio, cum sermo erit de ratione, qua agat acidum in viva animalia, invenietur. Si vero hujusce regni substantiæ cum acido nitrico diluto sub modico caloris gradu commiscentur, evolvitur mox azotum, quod acido omnino non debetur; progrediente vero operatione, decompositionem patitur acidum quoque, prodeuntque sub variis conditionibus præter azotum, aqua, gas acidi carbonici, acidum prussicum, oxydum azoti, acidum nitrosum, ammonia, acidum aceticum, malicum, oxalicum, quibus adnumeranda est materia flava detonans — acidum nitricum cum materia animali mutata? — Præter allata obtinetur substantia alba, pingvis, aqua levior, inflammabilis, in alcohole solubilis, et e carbone atque hydrogenio composita, quæ *adipocire* a Fourcroy

---

7) Essai de statique chimique Paris 1803.

8) Foreläsninger i Djurkemien. Stochholm 1806.

vulgo vocatur. Corpora vero animalia, azoto ex actione acidi nitrici privata, omnino vegetabilia referre jam ostendit Berthollet [9]).

Ex albumine ab acido nitrico materia larga primum albi dein flavi coloris præcipitatur in qua præsentiam acidi potassa et alcohol ostendunt. Quæ substantia, exacte lota, et in filtro bene siccata, si coquitur cum solutione potassæ causticæ, rubro induitur colore, aspectu pulchro; evaporatione peracta, atro-purpurea observatur, e substantia animali, potassa libera, nitrate potassæ et natri [10]) constans. Coquitur jam cum alcohole concentrato, et partibus animalibus et potassa mox solutis, remanent nitrates ad dignoscendum haud adeo difficiles. Quanti momenti sit exacta hæc descriptio, cum omnes substantiæ animales, quibuscum acidum nitricum connubium init, ne tela cellulosa quidem ab acido corrosa, excepta, eadem producant phænomena facile intelligitur [1]) Gelatinæ solutio haud turbatur ab acido nitrico apposito; in lacte vero subito producuntur frustula coagulata alba, mox flavescentia. Sanguis fluidus in coagulum sub multa azoti evo-

---

9) Fourcroy l. c. T. 9, Pag. 62 sequ. Berzelius Foreläsninger &c. T. 1 Pag. 30 sequ. Orfila: Handbuch &c. T. 2 Pag. 277.

10) Berzelius l. c. T. 1 Pag. 125.

1) Orf. traitè T. 2 § 545 Pag. 107; ejusdem Handbuch &c. T. 2 Pag. 284.

lutione mox abit; cruor vero in acido nitrico solutus ex flavo virescit; interjecto aliquo tempore pulvis viridis fundum petit. In bile humana guttulis acidi nitrici paucis conjuncta, coagulum producitur flavum, quod, acido guttatim apposito, in viridem, tum vero in lateritium transit colorem [2]).

---

2) Vol. Orfi. l. c. &c. nec non Berz. l. c. T. 1, P. 137.

Sectio symptomatologica.

Qvanta oritur malorum turba ex abusu aquæ fortis! qvanta vero est symptomatum diversitas! subito, qvasi fulmine tacta, concutitur tota machina.

In symptomatibus autem recensendis sic versari liceat, ut hæc ad primaria et secundaria referamus; illa vero sunt vel idiopathica vel sympathica, quæ jam sigillatim pertractandaerunt.

A. *Symptomata primaria.*

Ad idiopathica refero omnia, quæ in tota canalis alimentalis extensione, ab labiis ad ani orificium, sese offerunt.

Primus, qui morbose afficitur locus est oris cavitas; exinde examine instituto sequentia oculis perlustrantibus sese præbent.

Labia tremunt, maculis lividis sæpius notata etiam sæpe non notata, pallescunt rarius; linea curva, formam vasis, quod acidum continuerat, referente, pars labiorum sana ab affecta discernitur. Maculæ per plures dies permanent, et denique desquamatione terminantur. Quæ maculæ in mento quoque occurrunt.

Dentes vaccillant; coronæ flavæ observantur. Corripitur mox infelix doloribus urentibus cavitatis oris, præcipue ad basin linguæ; sub maximo affectionis gradu os aperiri nequit: Lingva

volumine augetur, rugosa, obducitur crusta ex albo flavescente maxime in media parte, ad latera interdum intense rubra. Factum legimus, interdum, veneficii celandi causa, acidum tubo vitreo longiore, partem cavitatis oris posteriorem solum attingente, ingestum esse, quod ubi factum est, hæc, quorum nuper fecimus mentionem, symptomata deesse facile patet.

Eodem temporis momento iisdemque symptomatibus corripiuntur pharynx et oesophagus; adsunt dolores continui, vehementes, urentes, lancinantes; difficultas deglutiendi fere semper, rarius vero plena, quæ ne liquidorum quidem descensum permittat, adest impotentia [1]). Sequente die, remediis rite adhibitis, in genere levior deglutitio; tertio vel quarto die ex solutione membranæ mucosæ iterum difficultas increscit; qua sublata, enormis hujus partis et diu durans restat sensibilitas.

Venenum in ventriculum descendisse, probant hujus partis dolores, quorum tamen non semper eadem atque quantitatis et qualitatis veneni ingesti ratio est. Videtur sibi ill. Tartra [2]), ex observationibus concludere posse, dolores, minore veneni copia deglutita, longe esse vehementiores; eorum vehementiam minui, si major fuit ægroti voracitas, si illud acciderit, sensibilitatem

---

1) Exemplum deglutitionis fere liberæ, licet acidi concentrati uncia deglutita, exhibet casus 6.

2) L. c. Pag. 147 sequ. Orfila traitè T. 2 § 551 P. 121.

augeri, si hoc, omnino deleri. Apud nos — nescio quo fato — fere semper eadem deglutitur veneni quantitas: aquæ fortis venalis scil. uncia una ad uncias duas; in magnitudine itaque doloris haud adeo multum differunt singuli casus. Regio cardiaca tumida fit tactumque respuit. Extenduntur dein dolores ad totum abdominis ambitum. Vehementia dolorum afflictos interdum ab amentia revocat, qua correpti facinus suicidii perpetrare conati sunt. Si majus est voluntatis robur, si firma moriendi voluntas, ut decipiatur medicus, vacuitatem a doloribus mentiuntur. Verum, ut in omni casu inflammatoriæ indolis, sic in nostro, idque eo magis, cum loqvela difficilis sit, melius est — svadente cl. Marschal Hall [3]) — sub pressione loci inflammati observare faciem ægroti, quæ ad rationem dolorum semper mutatur, quam ejus responsis confidere. Dolores, quoad indolem spectati, fixi et continui sunt; remittunt quidem justa medela, sæpius vero ingravescunt, diu durant et per longam vitam remissius ægrotum comitantur. Dolores partis, de qua agitur, defuisse, propria non comprobatum est experientia, nec subitariam mihi contigit observare remissionem, quæ ex aliorum observatione, sub maximo morbi gradu accidit; si scil. tanta vehementia agit deglutitum venenum, ut procreata

---

3) Handbuch der Diagnostik von Marschal Hall, Helmstädt 1824 Pag. 39.

inflammatio gangræna cum ulceribus insequentibus mox terminetur.

Veneno ventriculum aggrediente, hostem sævientem ex organismo eliminare statim conatur natura; hinc vomitus, qui fere nunquam deest, difficilis, doloribus vehementioribus junctus, interdum tam vehemens, ut per nares rejiciantur ventriculi contenta, ut livido induatur colore facies, ut fatigatione subruantur ægroti, nullis remediis cedens. Si vero ventriculus sub remissione dolorum subitaria, perforationem patitur gangrænosam, evanescit vomitus: partes scil. fluidæ æque ac solidæ per foramina facta transeunt, et, in cavitatem abdominis effusæ, tympanitidem enormem producunt; augetur vero, si quid liquidi assumitur, qua de causa ægroti potum respuunt omnem, quanquam siti sæpe inexplebili cruciantur. Extenditur vomitus ad aliquot horas, immo dies, quo silente screator factus est æger. Vomitu ejecta variæ sunt conditionis. Primo post venenum deglutitum tempore acidi continent particulas, quas probat effervescentia, quam in solum lapideum delapsa producunt, probat sapor acidus, quem dentibus obtusis sentiunt ægroti; certiores de hisce nos facit charta exploratoria; inspectio denique vasis metallici, ejecta recipientis, rem extra dubitationem ponit. Post aliquot vero horas nil acidi observatur. Coloris sunt varii, prout varia ad dolorem et vomitum leniendum ministrata sunt fluida; plerumque nigrescunt, sangvinem coagulatum continent

nigrum, serius magis lucida observantur. Multum porro interest, plenone an jejuno ventriculo venenum sit ingestum; si illud factum est, indoles vomitu ejectorum in multifarias abit varietates. Etiam lumbricos evomitos sæpius vidi. Odoris sunt aciduli, ægroto æque ac famulis ingrati.

Eructationes ex evolutione gasum sine dubio acidi nitrosi et azoti [4]) maxime primis post venenum deglutitum momentis incidunt. Halitus oris male olens diu infestat.

Alvum primis diebus sponte deponunt, apud alios vero clausa observatur, sub progressu morbi semper segnis. Qvi mox sponte deponunt alvum, haud raro tenesmis subruuntur, a quibus alii liberi manent. Nisum alvum deponendi frequentem et vehementem sine effectu nunquam vidimis ipsi, videre alii.

Appetitus omnino deletus est; primis duabus, et pluribus hebdomadibus nihil nisi lac sumsisse infelices, vidimus: serius etiam blandissima vomitu haud raro mox rejiciuntur. Siti interdum inexplebili ardent; quam si vel minima aquæ quantitate compescere conantur, vomitus dolorifici excitantur. Inter symptomata primaria idiopathica referenda est exfoliatio canalis alimentaris, quæ, ut equidem censeo, aptius infra tractabitur.

Ad sympathica oculos convertenti sympto-

---

4) Tartra l. c. Pag. 146.

mata facile patebit, omnia fere organismi systemata consensualiter alia, alia antagonistice in sympathiam vocari. Nullius enim visceris affectiones morbosæ tum in systema nervosum universum, tum in varias suas partes, tumque in aliorum viscerum nervos, majori cum vi influunt, quam illæ ventriculi, quatenus hoc organon nervos a pari vago et ganglio semilunari, hinc et a nervo intercostali accipit [5]). Et primum quidem de conditionibus pulsus, temperaturæ et cutis. Pulsus incitatus est, plenus, fortis, celer et durus, mox vero debilis, parvus, deinde insensibilis, tremulans, sæpe intermittens. Exploratio vero pulsus semper maximi est momenti: si desunt dolores, si deficiunt vomituritiones, pulsus parvus et decrescens, insensibilis denique prodit angvem sub herba latentem. In prognosi vero pronuncianda et cura eligenda, quanta sit pulsus scrupulosissime indagati dignitas, sectio prognostica et therapeutica nos edocebit.

Inter constantiora hujus veneficii symtomata jure referenda est temperaturæ corporis imminutio, quæ sese sub triplici forma prodit: aut horripilationibns universalibus corripiuntur ægroti, aut moventur sensu frigoris totius corporis superficialis, aut, id quod sæpissime accidit, detinentur frigore extremitatum; sub maximo morbi gradu glacies adest membrorum; totum corpus

---

5) Praxeos medicæ universæ præcepta, autore J. Frank P. 2, V. 1, Sect. 1 P. 59.

sudore friget; sudor frigidus, viscidus, glacialis magnas format guttas, quæ sese in facie colligunt atque in pectore. Quod symptoma, quanquam in aliis veneficii speciebus obvium, in hoc tamen, de qua agitur, maxime constans est; diu durat, ne convalescentes quidem, id quod sæpius observavi, relinquit. Hujus rei memorabile a Tartra affertur exemplum [6]): observavit puellam, 17 annos natam, pernervosam, quæ post ingestum acidum nitricum, sub calore æstatis urente — thermometron + 30° ostendit — in cubiculo radiis solis omnino exposito, meridie quoque, frigore cutis glaciali, obvoluta quanquam crassioribus velamentis laneis, erat detenta. Observavimus ipsi puellam, 20 annorum, quæ, sequelis acidi nitrici adsumti laborans, quum assiduis solibus comburebatur Hafnia, loca maxime solaria sibi vindicavit, in quibus obambulans friguit.

Vitalitate ad partes internas omnino conversa, systema cutaneum a turbis sympathicis antagonistice vel consensualiter plerumque affici, nemo inficias ibit. De mutatione temperaturæ cutis jam diximus; hoc loco modo de exanthemate quodam dicendum est, quod a se observatum esse plures et quidem haud levis nominis autores prædicunt. Sic refert cl. Desgranges [7]) se semel vidisse eruptionem miliarem sexto post ingestum acidum nitricum die, sub magno cutis

---

6) l. c. Pag. 154.

7) l. c. Pag. 17.

pruritu, temperaturæ corporis augmento et mentis inquietudine prorumpentem, quod exanthema diaphoreticorum usu medicaminum leniter evanuit [8]). Alius exanthematis eruptio, ex abusu acidi nitrici provocata, affertur a Fourcroy hisce fere verbis: ex hujus acidi nimia ingesta quantitate fere semper provenit eruptio vesicularum majorum (de gros boutons) variolis valde similium [9]). Quanquam hæc clarissimi viri observatio me ad scrupulosissimam cutis indagationem apud decem tali modo affectos compulit, nunquam tale quid observavi, nec observaverunt alii, quos consului, autores [10]). Quod ad miliarem eruptionem attinet, non possum non assentiri effato cl. J. Frankii [11]) cui errorem in diagnosi ii commisisse videntur, qui miliaria ab usu interno acidi nitrici repetiere.

Organa respirationis a labe universali libera non manent. Respiratio plerumque celeris, anxia, brevis, stridula, ronchosa. Haud raro symptomata peripneumoniæ nothæ cum tussi sat frequenti, dolorifica, cruenta accedunt. Vox fusca obscura, quasi nasalis, maxime post aliquot ab

---

8) Conf. Schneider: über die Gifte in medicinisch-gerichtlicher Beziehung 1821 § 156 P. 211; Foderé; medic. leg. Tom. 4 § 884 P. 94. Mynsteri Pharmacologie V. 2 P. 263.

9) Encycl. methodique. Med. art. acide nitr. P. 114.

10) Tartra l. c. P. 157.

11) l. c. V. 1 S. 2, P. 89.

ingesto veneno dies ob exfoliationem membranæ oesophagi mucosæ mirum in modum mutata. Loquelæ difficultas diu durat; ægrotæ quædam per longius temporis spatium de sensu quasi alieni in pharynge hærentis corporis sine notabili excreatione conquestæ sunt; utrum globulus fuerit hystericus, an vera veneficii sequela, non audeo definire; id modo adnotatum velim, alia symptomata, hysteriam comprobantia, sæpius statum morbosum ex acido nitrico ingesto obortum, complicare.

Semel hepatitidem ex veneno procreatam observasse mihi videor: foemina 24 annorum, unciis aquæ fortis quatuor cum solitis symptomatibus insequentibus assumtis, die morbi 2do conquesta est de dolore hypochondrii dextri fixo; erat respiratio anxia, difficilis, deglutitio sat libera, pulsus celer, urina rubra, alvus clausa. E venæ sectione unciarum 12 levamen percepit; celeritate vero et fortitudine pulsus permanentibus, repetita est sangvinis missio, qui phlogisticus observabatur. Die sequenti status immutatus erat; aderat dolor regionis scapulæ molestus, febris vehemens. Die morbi 4to mane mortua est. Sectio non instituta est.

Raro observatur nisus mingendi frequens sine lotionis excretione; ischuria vero perfecta a cl. Tartra sæpius, a me nunquam observata est; contra plures intra 12 horas, omnes vero intra nychthemeron urinam misere.

Enarrationem symptomatum sympathicorum,

antequam pauca de sensationibus externis atque internis addidero, relinquere non possum. Duobus exceptis casibus, omnes, quas observare mihi contigit, sequioris erant sexus; plurimæ, quin fortasse omnes, suicidii perpetrandi causa, venenum assumserant, quid mirum; illas infelices, in nosocomium receptas, horrendam sensationum perturbationem præ se tulisse. Præbet alia imaginem foeminæ, violentissimis animi agitationibus detentæ, de salute fere desperantis; est alia imago summæ calamitatis et affectationis moralis tristissima; in alia facultates intellectuales haud diminutæ, sed potius singulariter auctæ videntur; alia omnia, quæ præbentur, fluida avide devorat; alia austera morositate rejicit omnia; delirium rarius furibundum, sæpius mite observasse mihi videor. Facies plerumque contorta, sub gravioribus doloribus mirum in modum mutata, summe pallida, sub protracto morbo terrestris plumbea; oculi sæpius immobiles et hebetes, quam feroces et alacres; adnata oculi vasis sangvifer is tumet. Motus musculares, voluntatis imperio alias subditi, interdum vehementissimi, ita ut ne plurium quidem hominum viribus lecto retineri queant infelices.

B. *Symptomata secundaria.*

Symptomatibus vero consecutivis observandis plures sese opponunt rationes. Aliqvot diebus transactis, in spem melioris rerum status ingrediuntur ægroti, nec a spe plenæ restitutionis

semper absunt medici. Quum igitur nosocomium, in quod erant recepti, haud raro relinquant, ab oculis medici, qui primaria observavit symptomata, removentur. Si vero symptomata iterum ingravescunt, plerumque ejus indolis sunt, ut in nosocomium, in quo antea decubuerint, recipi non possint. Sub hisce conditionibus si alius medicus curam suscipit ægroti, symptomata, quorum causam celant ægroti, id quod non raro accidit, plerumque plus justo negligit. Augetur difficultas, considerando, symptomata consecutiva, ex abusu acidi nitrici orta, minime esse pathognomonica, sed cum morbis, e longe aliis causis originem petentibus, convenire. Huc accedit, quod observatio hujus status opus sine dubio tædiosissimum est, protrahitur per menses, quin per annos status conclamatus, quem ne levare quidem in medico semper est. Hisce omnibus fit, ut hujusmodi observationes apud autores perraræ sint. Nonnullas nobis suppeditat opus cl. Tartræ; nonnullas ex scriniis N. R. F. in usum vocavi; aliæ denique ex propria experientia depromuntur; hisce adjutus descriptionem horum symptomatum aggrediar.

Symptomata vero consecutiva, etiam in casibus vehementioribus, jam post aliquot dies incidunt; in mitioribus vero, sed satis raro, post aliquot horas sese produnt. Sunt vero plerumque hæc: status febrilis irregularis, anxietas, sitis multa, ariditas lingvæ et pharyngis, respiratio magna et difficilis, dolor pharyngis partim

ob incompletam eschararum solutionem, partim ob frustula membranæ mucosæ, alias adhærentia, alias vero in pharynge fluctuantia; vomitus haud semper adeo frequentes, species salivationis copiosæ, dolor profundus regionis ventriculi, tensio abdominis habitualis, constipatio pertinax, siccitas cutis, constrictio extremitatum spasmodica, dolores totius corporis inconstantes et vagi. Labuntur tempora, sed in meliorem partem minime abeunt consecutiva symptomata; marcor summum consequitur gradum, sceleti ambulantis speciem præ se ferunt ægroti, donec mors exoptata tragoediæ finem imponit. Quorum symptomatum, quæ quoad gradum, durationem et tempus, quo incidunt, multas præbent varietates, quædam uberius describentur.

Organis primarum viarum summe morbose correptis, digestio, ut ita dicam, omnino sublata est: alimenta quidem appetunt ægroti, sed mox vomitu rejiciunt omnia, ne fluida quidem retinere queunt, lacte excepto, quod plerumque bene fert ventriculus.

Constipatio alvi magis magisque augetur: hebdomades sine excretione alvina ægroti degunt. Tali modo afflictos, qui per tres menses semel vel bis alvum deposuerint, se vidisse refert Tartra [2]); alvina vero depositione abeunt scybalæ durissimæ, parvæ, concretæ. Hocce symptoma ne in mitioribus quidem casibus deesse, sæpius

---

2) l. c. P. 164.

observavimus. Affert scriptor nuper laudatus historiam morbi foeminæ, 41 annorum, quæ uncias aquæ fortis duas devoraverat; mox orta sunt solita symptomata, constipatio alvi vero tanta, ut per spatium sex hebdomadum unam haberet sedem, quæ ipsa oleo ricini provocabatur. Scrinia N. R. F. continent historiam ægrotæ, 29 annorum, quæ die Martii 24to duas aquæ fortis uncias deglutiverat; orta sunt solita symptomata, moxque in nosocomium recepta est; die vero demum Iunii 5to alvum sponte deposuit; itaque per 73 dies alvi aderat obstipatio, per hocce temporis spatium laxantibus oleosis et clysmatibus, sæpius incassum adhibitis, levata. Iis vero, qui a veneno assumto per aliquot hebdomades atque adeo menses alvi obstipatione laboraverint, si tandem alvus sponte fluat, intra breve tempus moriendum esse, ex pluribus casibus mihi videor concludere posse. Aliud memoratu dignum symptoma est canalis alimentalis exfoliatio. Incipit jam die morbi 4to vel 5to maxime in pharynge, et dein sese ad ventriculum et intestina extendit. Sub hac rerum conditione continuo screant ægroti, labia mentumque saliva tetra et putrida obtecta sunt. Nychthemero circiter elapso, cum vomitu respuuntur frustula membranæ, quæ plerumque parva sunt et irregularia. Longe major, quam quis credat, ex oesophagi et ventriculi exfoliatione per vo-

---

3) l. c. Pag. 81 seqv.

mitum redditur eschararum quantitas. Cum foetore hujuscemodi frustulorum nihil comparari potest; hæcce ejectio quin per menses durat. Interdum simul majores frustulorum partes ejiciuntur, irregulares vero, et in semet convolutæ; alias vero partes mucosæ membranæ, vomitu ejectæ, aperte præ se ferunt figuram cylindri cavi, ad formam oesophagi formati. Antecedunt vero tali membranæ exfoliatæ ejectioni omnia signa corporis peregrini in pharynge hærentis, quo non raro suffocationis metus inducitur. Rarissime vero — equidem saltem hoc nunquam observavi — membrana interna oesophagi et ventriculi tam æqualem patitur affectionem, ut exfoliatio harum partium simul insequatur, quo fit, ut integra ejiciatur membrana. Affert cl. Tartra memoralile talis exfoliationis exemplum [4]). Vir, 54 annorum, uncias aquæ fortis duas devoraverat. Vehementia symptomatum primariorum intra nonnullos dies sedata, die morbo 19no nosocomium, in quod erat receptus, reliquit. Post aliquod tempus, sub difficultate vomendi incredibili, reddidit fasciculum frustulorum membranosorum, quæ convoluta, formata erant ad figuram partium, per quas eis transeundum erat, in saliva spumante fluctuantia, ejusque foetoris, ut homines, qui odorem teterrimum consvetum haberent, ab illo refugerent. Frustula membranæ mucosæ per anum ejecta, nunquam

---

[4]) l. c. Pag. 67 seqv.

vidi; videre alii. Ecce tale horrendum sane exemplum. Foemina, 53 annorum, aquæ fortis quantitatem, nescio quam, hauserat. Mox orta sunt solita symptomata. Die vero post haustum venenum 20mo per anum, post multa irrita alvi deponendi conamina, ingens membranæ cujusdam glomus ejectum est. Quod bene lotum et expansum, formam oesophagi et ventriculi ostendit. Inspectio extra dubitationem posuit, eam esse membranam harum partium mucosam; facile cognita est partium, de quibus agitur, tela cellulosa, cujus alteratio in omnibus fere punctis eadem observabatur. Membrana unam vel duas lineas crassa erat, coloris intense brunnei; partes, quæ respiciebant curvaturam ventriculi majorem et minorem, attenuatæ, et ulcusculis pluribus locis perforatæ erant. Inter alios celeberrimi nominis viros, cl. Bichat hanc membranam oculis perlustravit observavitque.

Etiamsi acuta oesophagi et ventriculi inflammatio, remediis antiphlogisticis rite adhibitis, primis jam diebus sine insequente exfoliatione tollitur, et convalescunt ægroti, non adeo raro tamen chronica remanet maxime oesophagi inflammatio, quam insequitur hujus canalis coarctatio. Tale memoratu dignum exemplum nobis affertur in collectionibus, quæ in fronte habent: Bulletin de la societé medicale d'Emulation de Paris

---

5) Tartra l. c. Pag. 172.

Junii 1823 [6]). Vir, 24 annorum, poculum aqua forti impletum exhauserat; aliis sublatis symptomatibus, chronica remansit pharyngis et oesophagi inflammatio, quam insecuta est coarctatio extremitatis inferioris oesophagi, ad quatuor pollices se extendens, ut solum per canalem candelæ cereæ nutrimenta fluida, velut lac et aqua, præberi potuerint. Cum vero, ablata candela, ad clysmata nutrientia confugerent, plena oborta canalis obliteratione, mors insecuta est. Observavimus ipsi juvenem 21 annorum, qui uncias acidi nitrici diluti duas devoraverat; remediis diluentibus antiphlogisticis tractatus, convaluit et omnino sanus nosocomium reliquit. Paulo post autem me adiit querens de singulari sub deglutitione in cardia obstaculo, quo cogeretur, minutissimas deglutire offas; itaque ad coenam perficiendam multo longius sibi, quam aliis, tempus opus esse; ceterum nihil morbose restare.

Exfoliatione canalis alimentalis finita, enormis restat ventriculi sensibilitas, quo fit, ut singulis diebus pejorem in statum ruant infelices. Febris lenta jam caret remissionibus; insequuntur marasmi conclamati symptomata. Aspectum eorum fugiunt omnes; inconstanter impatienterque circumaguntur ægroti, solamen, quod nullo artis remedio obtineri possit, quærentes. Marcor in dies crescit; musculi volumine minu-

---

6) conf. Froriep. Notizen 1824 Juli No. 151 Pag. 304.

untur; tela cellulosa collabitur; nullum adest pingvedinis vestigium; integumenta universalia, substratis orbata, ossibus sese immediate imponunt: delineatio itaque totius corporis perquam aspera atque austera; facies terrestris, plumbea observatur; cavitates orbitæ fere vacuæ, oculi ipsi firmi et vita quasi orbati; extremitates longæ et male proportionatæ; cutis sicca, tetra, rugosa, qualis decrepitis esse solet; ruina illa, quæ ad normam naturæ annorum opus est plurium, nunc paucis mensibus efficitur; quæ a natura paullatim perficiuntur, violentia veneni subito ad finem perducuntur; omnia præbent imaginem ætatis præmature decrepitæ. Quam verum itaque est effatum cl. Pauli Zachiæ: "venena, nisi occidant, relinquunt semper aliquam noxam et morbos diuturnos."

Casus 1mus.

O. B. foemina, 25 annorum, 1824 Martii 14.

Ante 6 dies incertam a) aquæ fortis quantitatem hausit; continuo suborti sunt dolores vehementissimi cavitatis oris, oesophagi et abdominis cum vomitu continuo; aquam frigidam et decoctum avenæ domi adhibuit; abdomen maxime ad regionem ventriculi dolet; noctes insomnes, pulsus celer, tensus.

Vcnæsect: ℥XII.
Clysma oleosum
applicetur.
Magnesiæ carbon.
3 ß d. frequenter.
Emuls. communis. b)
d. ℥ß omni hora.

15. Nox insomnis, dolores et vomitus continuant; semper ejulat; e clysmate effectus; sanguis detractus cohærens et crusta phlogistica obtectus. Heri vespere porrectæ erant;

Laud. liquidi Sdh.
gtt. X cum quaque dosi
emulsionis.
Rep. V. S. ℥XII
Continuat emulsion.
Sep. magn. carb.

16. Status idem; vomitus omnium ingestorum cum vehementissimis doloribus maxime ad

tractum oesophagi miseram excruciant. Heri vespere iterum instituta erat

V. S. ℥XII.

Loco emulsionis præscripta erant:

Rp. Ol. amygdal. dulc. ℥I
aquæ comm. ℥VIII
Mucil. gum arab. qs.
ut fiat emulsio; adde
Syrupi amygd. ℥β
md ℥β frequenter.

Emulsionem quoque vomitu reddidit; cujus loco præscriptus est hic linctus:

Rp. Ol. amygd. dulc. ℥β
Mucil. gum. arab.
Syrupi amygdal. āa ℥I
md frequenter.
Rp. Laud. liquidi Sdh.
gtt. XV d. omni hora.

Nox tamen insomnis, ne minimum quidem levamen percipit; pulsus debilis; alvus clausa.

Clysma oleosum
applic. est.
Rep. V. S. ℥XII.

17. E clysmate effectus; noctem iterum sine somno degit; dolor oesophagi gravis; deglutitio fere prorsus impedita; vomituritiones intercurrunt; dolor epigastricam regionem occupat; abdomen haud expansum; urinam parce et difficulter mittit.

Catapl. emolliens
collo ant. impon.

18. Nox quieta et cum somno aliquali; dolores deminuti sunt; laud. liquid. retinere valet, semper tamen adest nisus vomendi; debilitas maxima, pulsus exilis; alvus clausa.

19. Parum alimentorum interdum retinet; continuat tamen dolor ardens lingvæ et oesophagi cum dyspnæa gravi; frigent manus, pulsus frequens, debilis; singultus intercurrit; nox insomnis. Heri vespere applicitum erat:

Clysm. domestic.
sine effectu.
Hirud XII scrobiculo
cordis impositæ sunt.
Repet. Clysma.
Vitelli ovorum cum
saccharo d. ut linctus.
Laud. liquid Sdh.
d. gtt. V pluries de die.

20. Nocte per aliquot horas dormivit, phantasiæ intercurrunt; excrementa cum clysmate evacuata sunt; singultus cessavit.

21. Per intervalla dormivit; pectus valde oppressum et nisus vomendi continuat.

22. Status multo melior; nox cum somno placido; dolores bene mitigati sunt; lingua sub deglutitione dolet et pectus oppressum est; vomitus raro intercurrit; alimenta blanda retinet; clysma heri applicitum erat cum parco effectu.

23. Alvus semper clausa, pulsus celer, cæterum convalescere videtur.

Clysma oleosum applic.
Sep. medic.

24. Bene dormivit; e clysmate effectus.

27. Deglutitio adhuc valde dolorifica; cæterum convalescit, mens tamen tristis; alvus clausa.

Clysma domestic.

applic.

Repetat linctum $^{16}/_{3}$.

30. Alvus sponte aperta, melius deglutire incipit.

April 1. Convalescentia continuat: nocte dormit; vomitus rarius intercurrit, alv. biduo clausa.

Clysma oleos.

3. Alvus sponte fluit; jam paululum extra lectum degere valet.

Post aliquot dies convalescens nosocomium reliquit, id quod ipsa postulaverat.

August 16. Rediit valde emaciata, variis doloribus obnoxia maxime ad tractum oesophagi hærentibus; deglutitio solidorum impedita; tussi cum expectorato parco et tenui vexatur.

Syrupi altheæ ℥II

Mucil. gum. arab. ℥I.

md.

Sept. 1. De dolore lateris sinistri queritur.

Liniment. vol.

d. ad illinitionem.

26. Tussis vehemens, noctes insomnes, vires valde fractæ.

29. Mortua est.

Sectio.

In hoc cadavere emaciato etiam carnes tabe fere consumtæ erant; arcus coli non, ut solet, suspensa sed versus pelvim dependens inveniebatur; tenuia intestina plus minus coarctata. Ventriculi fundus diaphragma attingebat, corpore perpendiculariter fere descendente. Pylorus haud induratus erat, sed potius obliteratus, adeo ut ventriculus immediate fere in duodenum transiret; in hac regione ventriculus peritoneo adhærebat ope ligamenti teretis, quod ventriculum, latioris, quod peritoneum respiciebat; idem cavum erat et specillum recepit. Pulmones passim adhærebant pleuræ, et in apice utriusque vomica aderat. In pericardio serum sat multum. Oesophagus toto tractu pervius erat et humorum expers; tunicæ crassæ; superficies interna in media parte asperior et rugosa.

---

a) Ut ad calculum exactum redigatur quantitas veneni ingesti, cum plerumque modo, quanti emerint, denotent ægroti, nec semper lagena, quæ acidum continuerit, obtineri possit, fieri nequit. Etiamsi detegatur quantitas aquæ fortis ingestæ, non liquet, cum plerumque apud aromatopolas ematur venenum, quid acidi veri assumserint.

b) Emulsio communis Ph. N. R. F. hæc est: Sem. cucum: — papaveris albi, amygd. dulc. āa ℥I m. f. c. ▽ commun. ℔II emulsio; adde Sacchari albi ℥I. d.

Casus 2dus.

D. W. 23 annorum, 1823 Nov. 3.

Puella faustæ constitutionis, sed ut videtur, melancholici temperamenti, mane diei Octobr. 29mi, jejuno ventriculo, fortuito, saltem ex assertione ægrotæ, aquæ fortis uncias duas hausit. Oriebatur mox sensus ardoris in ore, faucibus, et ad tractum oesophagi sese exserentis, cui junctus erat vomitus spontaneus, dolorificus, fere continuus; vomitu ejecta haud sanguinolenta, flavi coloris, saporis acris, in solo effervescentia; sitis semper inexstincta; ingesta autem fluida dolores augebant; singultus nullus; alvus normaliter aperta, urinæ excretio haud morbose mutata; somnus perturbatus; ante introitum vomitu ejecta esse frustula membranacea, asserit ægrota. Per quinque dies medicamina nulla adhibuit, tum vero in nosocomium recepta est.

Statum præsentem inquirenti retulit, dolores, inspiratione auctos, nunc maxime hærere in cardia; abdomen attactu dolere, haud durum nec expansum esse. Labia observabantur æque ac cavitas oris epidermide destituta, lingva ad margines quasi exulcerata, in medio vero alba, striata, volumen naturale non excedens; gingivæ dolentes, coronæ dentium albedine solita nitentes. Vomitus ex parte continuavit, ingestis auctus; sitis jam minor; sudor largus, calidus,

pulsus incitatus, haud tensus, pedes frigidi; ungues, primis morbi diebus lividi, jam colore haud peccantes. Instituta est,

V. S. ℥XII.
Emulsion. commun.
d. ℥ß omni hora.

Ordinata est diæta restricta, lac scil. et decoctum avenæ.

4. Sangvis vena missus sat cohærens; deglutitio valde impedita; somnus nullus, nec vomitus; emulsionem bene retinet; dolores vero cardiæ totiusque abdominis æque graves.

Rep. V. S. ℥XII.
Saponis medicat.
℈I
d. 3 per diem in lacte.
Cont. emulsionem.

Vespere: mens valde inquieta, somnus nullus. sangvis crusta crassiori obtectus; nausea, ardor et dolor cardiæ continuant; alvus nondum aperta; febrilia adsunt.

Clysma domest.
applic.

5. E clysmate effectus; sub depositione alvi lipothymia supervenit; dolores regionis epigastricæ atroces, remittentes tamen, pulsus nonnihil tensus; somnus per aliquot horas, sed phantasiis turbatus. Catamenia, quæ ante paucos dies adfuere, fluere iterum incepere. E sapone ad tractum oesophagi et in ventriculo ardoris sensus percipitur.

Rep. V. S. ʒXII.
Hirud. XII abd. applic.
Sol. sapon. seponat.
Cont. emulsionem.

Vespere. Dolores multo leviores; sanguis magnam seri quantitatem continet; fluida ingesta bene retinet; alvus clausa; deest singultus; eructationes intercurrunt, febrilia exacerbata, pulsus magis incitatus quam mane.

Clysma oleos.
applic.

6. Dolores mitiores, somnus per aliquot horas sat quietus.

7. Dolores intermittunt; solidos cibos nondum retinet; sitis potissimum urget; deglutitio libera; sensus ardoris in oesophago permanet; pulsus frequens, alvus clausa; somnus per aliquot horas sed parum quietus.

Rp Pulv. refriger. 3 ß
Moschi oricnt. gr. I
md. vespere.

8. Nox satis quieta; dolores maxime, cardiæ, continuant; alvus olei ricini ope aperta; pro cibo heri porrectum erat jusculum, quod dicitur *Æggesöbe.* Loco emulsionis

Vitell. ovorum
c. sacch. d.

9. Status multo melior; alvus sponte aperta, deglutitio libera; somnus per aliquot horas.

10. Dolores deminuti; appetitus rediit.

11. Ol. ricini
d. ad effectum
12. Rp. Ol. amygd. d. ℥I
Mucil. gum. arab. ℥ß
∇ font. ℥vi
Laud. liquidi S. 3I
mf emulsio.
℥ß d. bihorio.

13. Cephalalgia accessit frontalis.
Vesic. nuchæ imp.

14. Alvus per 4duum clausa.
Ol. ricini
d ad effect.

17. Jam per plures dies continuavit cephalalgia; ardor abdominis nullus; noctes insomnes; sapor pravus cum nausea.
Vesicat. parva temp. applic.

18. Vomitus rediere, tempore aliquo post cibos assumtos sese exserentes.

19. Sepon. emulsion.
Inf. saleb.
d. pluries de die.

24. Sat bene se habet, si exceperis horrores intercurrentes, et cutem quasi anserinam; cephalalgia continuat.

Decembris. 5. Hodie ipsa petens nosocomium reliquit: cardialgia continuat, cui liniment. volat. oppositum fuit; horrores crebri; vox mihi saltem visa parum tremula.

Ægrota sine dubio hysterica erat: de statu ejus sequente nil compertum habeo.

Casus 3tius.

C. A. 1823, Nov. 17.

Hora prima antemeridiana in nosocomium recepta est puella, plethoricæ aliquantum constitutionis, quæ ob infelicem amorem vita se privare conata erat ope aquæ fortis, cujus ad horam dieî proxime elapsi octavam pomeridianam uncias circiter tres deglutiverat. Domi mox orta sunt symptomata solita primaria: ardor faucium, oesophagi, cardiæ cum vomitu largo spontaneo, dein aquæ et lactis ope aucto. Vomitu ejecta sunt sangvinolenta, et, reagentibus adhibitis, acidum contentum præ se ferunt. In prolabiis et dentibus nil præter naturam; apex lingvæ soliti coloris, siccus, basis vero alba, et crusta quasi lardacea obtecta; vox difficilis, respiratio anxia, sublimis, facies pallida.

℞ Magnesiæ albæ
3 ß d. omni hora
Emuls. communis
℥ß d. crebro.
Mucil. gum. arabici
▽ diluta d. pro potu.

Mox post introitum accessit insultus epilepticus,

ter nocte recurrens; per intervalla dormivit. *Ad horam 9nam antemeridianam* visitanti referebat, diluculo iterum accessisse epilepsiam, saepius recurrentem. Ante tres annos se eodem morbo laborasse postea confessa est. Facies erat valde rubra, oculi splendentes, deglutitio libera; pectus anxie movebatur; dolores cardiæ continui, fixi, atroces, attactu aucti, abdomen haud tamen expansum; alvus clausa; vomitus nullus nec singultus; ingesta medicamina retinet; de horripilationibus intercurrentibus cum æstu alternantibus queritur.

Hirud. XVI
cardiæ applic.
Rp. Emuls. comm. ℥VIII.
Laud. liquid. Sdh. ℥I
m. d. ℥ß omni hora.

Vespere. E hirudinibus aliquantum levaminis; deglutitio magis impedita quam antea, pulsus celer, tensus, alvus clausa.

V. S. ℥XII instituatur.
Clysma domestic.
applic.

18. E clysmate nullus effectus; somnus per aliquot horas; dolores cardiæ paululum mitiores, ardor vero oesophagi cum deglutitione difficili permanet; vomitus nullus nec singultus; de gravedine capitis conqueritur.

V. S. ℥XII rep.
Sep. opium ex emuls.

Clysma applicitum
est sine effectu.

19. Somnus nullus; epilepsia sæpius adfuit; sangvis haud phlogisticus; cæterum status idem.

Repetatur clysma.

20. E clysmate effectus; vox magis libera; in faucibus quasi hæret corpus peregrinum; cæterum status idem; epilepsia intercurrit; desunt vomitus; dolores in abdomine mitigati, in pectore hærere videntur. Ex emulsione vomituritiones excitantur.

Seponat emulsionem.
Ol. amygd. dulcis
3ß d. omni hora in dec. avenæ.

24. Dolores quotidie deminuuntur, maxime tamen in oesophago hærent; cibos poscit.

25. Epilepsia sæpius intercurrit: alias status multo melior.

Juscul. carn. conced.

26. Status multo melior; queritur de gravedine capitis et somno phantasiis intercurrentibus turbato. Motus epileptici ter adfuere.

27. Sep. ol. amygd.

28. Infus. saleb
d. pluries de die.

29. Gravedo capitis continuat.

Vesicat. nuchæ.

30. Si epilepticos motus exceperis, optime sese habet.

Decembris 5. Cubili relicto, aërem liberum intrans vertigine correpta et lipothymiæ proxima est.

9. Ipsa petens sana nosocomium reliquit.

---

a) Talis solutio mucilaginosa præsertim gallicis medicis in usu est.

Urina, quam mox post introitum misit, acidi particulas, adhibitis reagentibus, ostendit. Saturata jam est potassa subcarbonica, inspissata dein; detonatione et, acido sulphurico superinfuso, evolutione vaporum albidorum cognita sunt nitratia. Notandum est, urinam eximiam calcis quantitatem continere. Urina post aliquot dies missa nullum acidi vestigium ostendit.

Casus 4tus.

S. D., 32 annorum, Dec. 18, 1823.

Foemina, spirituosis sine dubio dedita, curis domesticis afflicta, hora octava pomeridiana aquæ fortis uncias duas haurit. Vehementia symptomatum mox ortorum nosocomium petere ægrotam cogit. Hora nona dolent ardentque os et oesophagus; dolor summe excrucians detinet cardiam, attactum omnino respuentem; abdomen dolorificum haud tensum; deglutitio fere prorsus impedita, vomitus continuus, creber, dolorificus,

cum ejecta materia nigra; sanguinis coagulati haud absimili, nullus vero singultus; in prolabiis puncta flava; dentes haud affecti, lingua flava, exporrectu difficilis; extremitates frigidæ, pulsus celer, debilis, horripilationes intercurrunt, mens sana, facies haud alterata.

Magnesiæ ustæ lacte sol.
d 3 β omni hora.
V. S. ℥XII.
Hirud. XVI collo
antic. impon.
Rp. Olei olivar. ℥I
∇ communis ℥VI
Mucil. gum. arab. q. s.
ut fiat emulsio; d. alt. c. magn.

19. Deglutitio æque impedita, ut medicaminum et potus fere nihil ingerere possit, continuat vomitus; dolores sæviunt eadem cum vehementia, deest singultus; anxietas eadem; temperatura cutis a norma naturali haud recedit; nocte per horas aliquot dormivit; mens sana, abiere vero sine arbitrii imperio lotium et excrementa; pulsus celer, subtensus.

Emittantur sangu. venosi
℥XII.
Catapl. emoll. collo
ant. imp.

vespere. Deglutitio impedita maxime urget, singultus rarius intercurrit; alvus hodie haud aperta; sitis inexplebilis.

Hirud. VI collo applic.

20. Deglutitio æque impedita; dolores abdominis haud notabiles, in cardia tamen remanentes; vomituritiones intercurrunt; alvus clausa, somnus per aliquot horas, pulsus celer.

Clysma oleos. applic.

vespere. E clysmate effectus; vomitus minor continuat; deglutitio magis libera.

Seponat magnes.
Cont. cætera.

21. Fluida deglutire valet; appetitus redit, nox insomnis; dolores abdominis haud notabiles; sitis aucta continuat; pulsus adhuc incitatus; alvus haud aperta.

Conced. juscul. hordei.

22. Crebro singultit, alias status melior; alvus clausa.

Clysma domest. applic.

23. Vomitus plane cessavit, deglutitio libera, alvus aperta, nox inquieta, vertigo accusatur, præsertim si extra lectum degit ægrota.

24. Status in dies melior, alvus clausa.

Ol. ricini d. ad effect.

26. Convalescit optime; continuat vertigo; de dolore pungenti apicum digitorum queritur.

Vesicat. nuchæ.
Sep. emulsion.
Infus. saleb
d. pro potu.

1824 *Jan.* 2. Queritur iterum de dolore colli sub deglutitione; alias sana.

5. Hodie de cardialgia, non tamen continua, queritur; cæterum sat bene se habet.

Post aliquot dies reconvalescens nosocomium reliquit.

Lotium post venenum assumtum prima vice missum, cum involuntarie in lectum abierit, colligi non potuit. Urina, quæ analysi chemicæ subjecta est, horas 18 post factum veneficium reddita erat. Hæc vero facta sunt pericula, in quibus instituendis ab exp. Möller, pharmacopola N. R. F., amicissime adjutus sum.

1. Charta exploratoria solita indolem urinæ, per linteum colatæ, acidam ostendit.

2. Urina, calori modico exposita, hanc naturam retinuit; igitur indoles ejus acida non acido carbonico, sed acido cuidam fixo debebatur.

3. Fluido jam appositum subcarbonatis sodæ, quantum ad saturationem perfectam requirebatur; massæ salinæ inspissatæ

4. pars aliqua, carbonibus injecta, nitras ostendere haud videbatur;

5. alia pars alcohole digerebatur; pars, a menstruo haud soluta, notas salis nitrici præ se ferebat.

6. Parti, alcohole solutæ, apposita est solutio kali oxalici, mox magna calcis oxalicæ præcipitatur quantitas. Calx oxalica obtenta inter prunas candefacta est; destructo acido oxalico, massa in acido nitrico soluta est, iterumque, apposito kali oxalico, præcipitata.

Casus 5tus.

B. B. foemina 52 annorum. 1824. Feb. 12.

Ventriculo fere jejuno meridiem versus aquæ fortis uncias circiter duas ingerit, solita mox surgunt symptomata primitiva, quæ ut leniren-tur, domi lac porrectum est, quod vomitum auxit; in nosocomium recepta, questa est de ardore faucium et oesophagi, de excoriationibus oris et dolore cardiæ modico; vomitus continuat, deglutitio fere libera, pulsus naturalis.

Magn. ustæ 3 β.

Rp. d. omni dimid. hora.
Ol. amygd. d. ℥I.
▽ fontanæ ℥VI.
Mucil. gj. arabici q. s.
ut fiat emulsio;
℥β d. bh.
Dec. avenæ tenuius
d. p. p.

13. Vomitus per totam noctem largus, unde jam multum levata sunt symptomata; alvus aperta; de corpore quasi peregrino in pharynge hospitante queritur.

14. Status melior.

Sep. magnes.

15. Obstaculum oesophagi adhuc urget, alvus clausa.

16. Sat bene se habet, nox quieta fuit cibos cupit, alvus nondum aperta; impedimentum deglutitionis evanuit.

Ol. Ricini ℥β.
d. bh. ad effect.

17. Jam per plures dies queritur de sensatione, quasi ex pugno præcordia sub deglutitione premente, præsertim si solida ingerantur; hæc tollitur, corpore antrorsum flexo; cæterum tussi jam inveterata excepta, bene se habet.

19. Evanuisse videtur hæc oppressio cardiaca; alvus clausa.

Sepon: medic.
Ol. Ricini ℥β
d bh. ad effectum.

20. Sana.

Urina, XII horas post veneni assumtionem missa, chemicæ analysi subjecta, vestigium acidi nitrici haud monstravit.

Casus 6tus.

M. L. 20 annorum, 1824 Sept. 2.

Puella sanæ constitutionis, ad horam secundam antemeridianam, unciam circiter acidi nitrici sat concentrati hausit. Mox orta sunt solita symptomata ardor oesophagi et ventriculi, deglutitio tamen libera, abdomen haud expansum, attactu vero dolens, lingua in apice pura, in radice crusta albida obtecta; in labiis puncta flavescen-

tia, corona dentium flavi coloris, vomitus domi adfuit, post admissionem in nosocomium promotus ope

Infusi chamomillæ.
Magnesiæ ustæ 3 β
d quavis ¼ hora.

Vomitu ejecta nil acidi continent.

3. Vomitus per noctem continuavit; deglutitio multo magis impedita, tumet collum, pulsus fortis, plenus, alvus clausa, alias status idem.

V. S. ℥XII.
Hirud XII collo
ant. imp.
Clysma evacuans
applic.
Lac d. pro potu.

4. E clysmate largus effectus, vomitus silet, deglutitio jam libera, lingua crusta alba striata obtecta, dolores colli continuant æque atque abdominis, nox cum somno. Detractus sangvis naturalis. Causa facinoris in amore infelici quærenda.

Catapl. emoll.
collo impon.

4. Nox inquieta sine somno, dolet caput, ardor et dolor cardiacus, ad lumbos extensus, accusatur; vomituritiones absque vomitu intercurrunt, alvus clausa, deglutitio libera.

Hirud VIII applic.
abd.
Clysma evacuans.

6. Urina, XII horas post ingestionem acidi nitrici missa, clara erat et coloris naturalis in chartam exploratoriam leviter reagens. Status hodie melior, dolores abdominis minuti, silent eructationes, deglutitio libera, alvus elysmatis ope aperta, nox quieta, eschara linguæ nondum secessit.

7. Status idem, queritur jam de doloribus pungentibus continuis pectoris et dorsi; vomituritiones post cibos ingestos adveniunt, sapor putridus.

Emuls. commun.
ℨβ d. bh.

10. Febrilia adsunt, caput valde dolet, nox insomnis, alvus aperta, pulsus celer, corpus æstuat, lingua alba.

Hirud VIII temp.
Julap. salini Ph. NF.
ℨβ d. bh.
Sep. emulsion.

14. Heri vespere dolores spastici abdominis accesserant; de vomituritionibus conqueritur, lingua brunnea.

Rp. Hb menthæ pip.
Flor. chamomillæ āa
md. p. p.
Sep. julapium.

15. Nox phantasiis turbata, tussis sicca adest, alvus aperta.

Vesicat. nuchæ.

17. Heri lumbricum evomuit; infans hel-

minthiasi laboravit; accesserunt iterum heri vespere spasmi abdominis.

Ol. tepido abd. imp.

leniti; queritur de tussi sicca.

Sep. inf. hb. menth.
Thea pectoral.
d. p. p.

20. Hodie status multo melior, vomituritiones silent, tussis sicca continuat, alvus aperta.

28. Sep. med.

Octobris 5. Accessere iterum motus febriles cum doloribus totius abdominis, vertigine, insomnia, vomituritionibus et vomitu spontaneo: alvus laxa, sitis magna.

Hirud XII scrob. cordis applic.

6. Infus. menthæ pip. d. p. p.

11. Convalescit.

Sep. medic.

17. Convalescentia bene procedit.

26. Sana abit.

Casus 7mus.

B. F., juvenis 21 annorum, 1825. Marts. 25.

Hodie post meridiem assumsit acidi nitrici diluti uncias circiter duas; mox secuta sunt solita symp-

tomata primaria, quibus domi lac et aqua saponacea opponebantur. Paulo post nobis adportabatur; prævalebat dolor ardens oris, pharyngis, oesophagi et ventriculi; cardia tamen attactum externum bene ferebat; vomitus aderat largus, dolorificus; ejecta sanguinem haud continebant; deglutitio libera erat, labia et lingua, maxime ad radicem, alba, pulsus parvus, depressus; horripilationes nullæ, mens sana. Porrigebatur

Inf. chamomillæ tepid.

Vomitus largus exinde citabatur, quo finito

Magn. ustæ ℥ß lact.
solutæ mox porrecta est.
V. S. ℥XII.

Paullo post: vomitus continuat; ejicitur jam sanguis niger, coagulatus.

Cont. magnes. ust.
℥ß omni dimidia hora.
Lac, ▽ frigida commixt.
d. p. p.

Hora 12ma. Dormit ægrotus; vomitus sanguineus silet; ingesta tamen mox respuuntur.

Cont. magn. ust. ℥ß.
omni hora.
Cont. lactis usum.
Inf. chamomillæ
d. p. vomitu levando.

26. Per aliquot horas dormivit; loquela difficilis; deglutire valet, dolet cardia, abdomen nec durum nec expansum, alvum noctu bis deposuit, urinam septima post venenum assumtum ho-

ra misit, sanguis haud phlogisticus, pulsus acceleratus.

Repet. V. S. ℥XII.
Dec. avenæ et lac
d. p. p.
Sep. magnesiam.

27. Vomitus omnino nullus, sputatio larga, circa labium superius areola fulva; dentes jam dolent; deglutitio et loquela magis liberæ, cavitas oris excoriata, alba; dolor oesophagi modo sub deglutitione sese exserit, cardia vero vehementer dolet, alvus clausa, nox insomnis, sanguis haud phlogisticus. Heri collo applicitæ sunt

Hirud. XII.
Catapl. emolliens
cardiæ imp.
Emuls. communis
℥ß d. bh.

28. Noctu dormivit; heri cardiæ applicitæ sunt

Hirud XII,

cum magno levamine; alvus per triduum clausa; cavitas oris depuratur, deglutitio magis libera æque ac loquela.

Clysma domestic.
applic.
Continuat cætera.
Dec. avenæ d. p. p.

30. Optime convalescit; noctes quiete deguntur; areola fulva circa labium desquamatione evanuit æque atque eschara linguæ; deglutitio ac

loquela liberæ, cardialgia nulla, silet vomitus, alvus sponte aperta, nullum exanthema apparuit; urina analysi chemicæ subjecta acidum nitricum monstravit.

31. Heri vespere ob alvum clausam applicitum est

Clysma domest
c. effectu.

Jam extra lectum degit

April 2. Convalescentia bene procedit; redit appetitus.

5. Omnino sanus abit. De ulteriore valetudinis ejus statu vide, quæ observata sunt pag. 43.

Casus 8vus.

E. K. 24 annorum, 1825, Jun. 29.

Ante horam aquæ fortis dosin, ut ipsa asserit largiorem — quantum marca emi potest — hausit; mox adsunt symptomata solita: dolor vehementissimus, ardens linguæ, faucium, oesophagi et maxime ventriculi. Mentis compos est, tamen rationem sufficentem de statu reddere non valet, pulsus incitatus, depressus, facies pallida, temperatura corporis minuta, debilitas magna, lingua et dentes corrosionem manifestam exhibent. Causa facti in amore infelici quærenda.

V. S. ℥XII.

Inf. chamomillæ tepid. largiter ingeratur ad vomitum repetitum.

Sanguis ob debilitatem lente modo et insufficienter effluxit.

Hirud XX. epigastrio applic.

vespere. Deglutitio valde dolorifica.

Hirud. XII collo imp.

Emuls. communis. d. ℥ß bih.

Serius: Sub hirudinum suctu deglutitio quidem facilior erat; hoc vero finito, deglutiendi difficultas iterum increvit.

Catapl. emoll. collo antico imp.

Hora 12ma. Quiete dormit, respiratio ronchosa, quasi e corpore peregrino viis aëriferis inhærenti.

30. Ad relationem a pharmacopola requisitam, uncias circiter quatuor sibi acquisiverat; deglutitio æque impedita, lingua crusta flava crassiori obtecta, alvus per plures dies clausa; nocta urinam misit, cæterum status idem.

Clysma applic. est cum effectu largo.

Hirud. XII collo imp.

Vesicator. nuchæ.

Urina missa citrini erat coloris, clara et signa acidi liberi præ se ferebat.

Julii 1. Noctu haud dormivit, deglutitio magis libera; eschara linguæ et oesophagi, quum frustula cutanea exscreentur, solvi videtur; in cardia modo leviores percipiuntur dolores, sed in hypochondrio sinistro pungens adest doloris sensus; alvus clausa, horripilationes haud adsunt, congestiones vero ad caput; appetitus redit et cibos poscit.

Liniment. volatil.
d. ad inunct.

2. Noctu haud dormivit, alvus clausa, lingua depuratur, deglutitio libera, vomituritiones nullæ, dolor vero vehemens, continuus, punctorius hypochondrii sinistri accusatur, sub tussi et ab attactu auctus, febrilia nulla; rubent nonnihil genæ.

V. S. ℥VIII instit.
Clysma applic.
Catapl. abdom.
imp.
Sep. catapl. coll.

3. Status melior, deglutitio adhuc nonnihil impedita, dolor auris utriusque percipitur.

4. Deglutitio hodie magis dolorifica, forsan e solutione escharæ oesophagi; inflammatio oris se ad aures extendit, alvus clausa, menstrua accessere; dolores abdominis mitiores.

Rep. catapl. emoll.
in collo.
Clysma domestic. applic.

R. Mellis rosati ℥II
Boracis venetæ ℈I.
md. pro garg. oris.
Sep. Catapl. abd.

5. Alvus e clysmate aperta; deglutitio magis libera, dolor auris internæ continuat.

7. Dolores et susurrus aurium continuant; deglutitio jam fere libera; de sensu faucium urente conquiritur; alvus clausa.

Clysma domestic. applic.
Vesicat. perp. pone aures.

13. Jam bene convalescit, dolores colli tamen continuant, licet deglutitio libera sit; susurrus aurium minor, alvus semper segnis. Heri

Empl. gummosum
collo imposit. est.
Ol. Ricini
℥ß d. ad effect.

18. Si exceperis debilitatem nonnullam et dentium colorem subflavum, omnino sana videtur.

Sep. medicinam
juscul. c. conced.

20. Vomitus e jusculo carneo citatur.

29. Queritur ultimis diebus de vomiturition intercurrente, sed sine vomitu, ingesta bene retinet; et cæterum sana videtur.

30. Abit.

Eximio ill. Bangii Med. Dr. Prof. et protomedici Nos. Fred. benificio factum est, ut, quæ sequitur ulterior ægrotæ hujus morbi et sec-

tionis historia, in lucem edi concederetur.

E. K. 24 annorum Aug. 10.

Quæ ante quatuordecim dies nosocomium reliquit, nunc revertitur dolorem faucium abdominis et vomitum omnium ingestorum accusans. Lingva pura, appetitus nullus, alvus segnis, pulsus tardus, salivatio spontanea adest.

Hirud. XII
abdomini imp.

11. Ex hirudinibus levamen, singultus intercurrit, alvus clausa.

Elect. aperit.
d. ad. effect.

13. Electuarium heri evomuit, alvus non aperta, salivatio larga, dolor faucium accusatur.

Rp. Infus herbæ salviæ
c. oxymell. squill.
d. pro gargarismate.
Clysma appl.
Hirud XII abd. imp.

14. Noctc per intervalla dormivit, alvus aperta, vomitus heri vespere adfuit.

15. Angina et deglutitio difficilis accusantur.

Hirud. XII
collo appl.

16. Ex hirudinibus levamen, nocte dormivit, febrilia nulla, alvus clausa.

Pulv. eccoprot.
d. ad effect.

17. Vomitus et singultus iterum adveniunt, alvus nondum aperta.

Rp. Amygdal. dulc.
ℨß
amygdal. amar.
No. IV.
fiat c. aquæ ℨVIII
emulsio
d. ℨß bihorio.

18. Vomitus continuat, oppressio cardiæ accusatur, alvus heri clysmatis ope aperta. Macies corporis increvit, appetitus viget, ingesta mox rejiciuntur; singultus adhuc intercurrit. Horripilationes interdum sentiuntur, temperatura corporis minuta.

Hirud. XII abd. appl.

21. Rp. Hirud. XII abd.

24. Vomitus continuat, dolor faucium et oesophagi persistit.

25. Alvus clausa.

Clysma appl.
Ungv. neapolitan.
inungat. abd.

27. Status ex relatione ægrotæ multo melior.

31. Dolor oesophagi iterum sat gravis, verisimiliter ob vomitum frequentem.

Rep. Hirud. XII.

Septbr. 3. Dolor continuat, sensus quasi ulcus adsit in oesophago percipitur, singultus intercurrit, alvus sex fere dies clausa, oleum ricini evomuit.

Clysma appl.

4. Singultus continuat, heri vomitus nullus, e clysmate effectus.

5. Vomitus, singultus et dolor oesophagi continuant.

6. R. Calom. gr. I.
Magnes. alb.
Sacch. alb.
āa gr. X.
m. d. dimid. dos. 4. p. d.

7. Continuant vomitus et singultus.

9. Status idem.

14. Vomitus heri gravis, dentes dolere incipiunt.

Sep. pulv. et inunct.
R. Empl. resolv.
— de galbano
āa
m. imp. abd.

23. Salivatio accessit.

26. Infus salviæ cum
linct ad aphthas
d. pro gargarism.

Octbr. 5. Faucium dolor continuat, levis ophthalmia catarrhalis.

10. Debilitas, tussis cum sputis spissioribus, marcor increscens.
Cerivisia fortis.

18. Mel. despumat.
add. infuso saleb

20. Dolor pectoris medii cum tussi continuante.

Vesicat pectori.
Th. pector.
c fol. uvæ ursi.

Novbr. 5. Dolor minutus, marcor increscit.
12. Sudor largus nocturnus adfuit.
14. Tussis valde vexat.
19. Infus. saleb
patellæ min.
c. Tinct. opii
gtt. X.
omni vespere
22. Diarrhoea adest.
26. Moriebatur,

Sectione cadaveris (.) pulmo dexter suppuratus et aliis in locis hepatisatus. Ventriculi tunicæ in parte pylorica solito crassiores, pylorus ipse morbose induratus inveniebatur, ut tamen specillum sat crassum per aperturam induci possit.

(.) Est hæc historia obductionis, cujus in pag. 3 facta est mentio.

Errata.

Pag.	2	L. 12	æneos	lege æneas
—	–	– 13	tabulos	– tabulas
—	7	– 11	Torblanque	lege Forblanque
—	10	– 8	Post physiologie adde: ? N'est-il pas du ressort de la pathologie.	
—	11	– 2	notitio	lege notitia
—	–	– 15	aërum	lege aërem
—	14	– 13	cecuti	– secuti
—	21	– 21	foreno	– forensi
—	34	– 5	qua	– quo
—	42	– 2	Post exemplum adde: 5,	
—	54	– 25	Post potu adde: a)	

Leviora errata autoris absentia, qui plagulas corrigere non potuit, benevolus lector excusabit.